

00ge



21

# HISTORIA RELIGIONUM,

breviter indicata

&

IN SCHOLA ANNÆBERGENSI

*d. XVII. Julii*

Anno M. DC. LXXI.

producta.

à

M. JOHANNE CRAUSIO, R.

---

ANNÆBERGÆ,

Typis DAVIDIS NICOLAI.

2



**N**ullam esse sub Sole gentem, omni omnino religione destitutam, seu quæ non habeat certum de DEO sensum certumque ejus cultum, cum internum, tum externum, ad propitiandum ipsum, constat partim ex rationibus certis, partim ex experientia, partim ex testimoniis eruditorum. Vid. B. Kromayerus in Scrutin. Relig. disp. 1. part. 1. Atque utinam sicut in hoc, tanquam in cratere philotesio, consentiunt populi: Ita in eo quoque non dissentirent, ecquænam sit vera illa & salvifica Numinis cognitio, quisque sit verus ille & DEO acceptus cultus, quo ipse per peccata offensus propitiari vult & debet. At enim non ineptè huc quadrat illud Persii Sat. X. ab initio:

*Omnibus in terris, quæ sunt à Gadibus usq,  
Auroram & Gangem, pauci dignoscere possunt  
Vera bona, atq; illis multum diversa, remotâ  
Erroris nebulâ.* - - - - -

Omnes autem religiones ad IV. classes vulgo referuntur, ad Christianismum puta, & tres religiones extraneas seu profanas, paganismum, Judaismum & Muhammetismum. Quibus omnibus opponitur Atheismus in primis consummatus cum multiplici abortu, scilicet Puccianismo, Epicureismo, Cyclophismo, Vid. Theoph. Spizelius in Scrutinio Atheismi p. 16. Quoniam vero unâ alterave paginâ non licet vivis coloribus depingere singulas: Id propter illas duntaxat adumbrabo aut indicis vice fungar. Utque earum harmonia, vel potius immanis & irreconciliabilis discrepantia facilius pateat, ordine in singulis exhibebo I. Principium dogmaticum vel fundamentum organicum: II. Sensum & cultum, seu dogmata & præcepta circa mores ritusque h. e. quid credant de DEO ejusque personis & operibus: itemque de homine, ac ejus quadruplici statu, 1. integritatis, 2. corruptionis, 3. restitutionis. Atque hic considerabitur

bitur vita sive mores adversus DEUM & proximum: itemque ritus sacri circa personas, loca, tempora, actiones sacras (historias enim ceterasque consuetudines receptas in scholis, republica, militia, oeconomia, in victu, amictu, ædificatione, negotiationibus hic non tango) 4. glorificationis & quatuor novissimis, morte nempe corporis ac immortalitate animæ, resurrectione, iudicio vel damnationis ad infernuū, vel absolutionis ad cælum, & consummatione seculi. Adverti autem debet, in solo Christianismo fundamentum, dogmata, præcepta, ritus & omnia esse, solida, vera, sibi consentientia, sublimia, utilissima, sancta, efficacia, constantia, antiqua, latissime pieque propagata per homines pios & simplices, per miracula, per martyria, infidelibus multis etiam probata. In profanis religionibus contra hæc esse lubrica, falsa, contradictoria, vulgaria, impia, frivola, frigida, evanida, nova, perperam propagata per impostores, vim ac fraudem, ne ipsis quidem τοῖς ἑξῆς probata. III. Dissensum cujusque internum circa principium, dogmata & ritus: Habet enim quævis religio suas hæreses & schismata, sive verè sive apparenter talia, orta præcipue ex diversitate diversaque interpretatione principii, dum alii unum tantum admittunt, atque sic textuales sunt v.g. Scripturarii inter Christianos, Karitæ inter Judæos: Alcoranistæ inter Muhammedanos: Alii autem plura & heterogenea sæpe admiscunt, traditiones pura, rationem, enthufiasmos. Quisquis autem plura de religionis natura, conservatione & cura Magistratui competente, multigenaque varietate scire, desiderat, ei consulendi sunt cum Theologi systematici & conscientiarum, tum politici, historici, geographi, scriptores hodieporicorum & philologi. Vid. Dn. D. Abrah. Calovius, System. Theol. Tom. I. cap. 2. à pag. 91. usque ad 268. & Isag. Theol. lib. I. cap. 12. pag. 275. D. Joh. Frid. König, Theol. posit. cap. I. præcogn. special. D. Hieron. Kromayerus, in Scrutinio Religionum. Joh. Henr. Ursinus, in Historischen und Theologischen Bericht von

**Unterscheid der Religionen.** D. Joh. Ern. *Gerhardus*, in consensu & dissensu religionum profanarum cum veritate Christiana. D. Christian *Korbolcus*, in dissert. de religionibus profanis. Johan. *Hornbeck*, in summa Controversiarū religionis. J. H. *Hottingerus* in Histor. Eccles. M. Georg *Dedekennus*, in Consiliis. D. Frid. *Balduinus*, in Cas. Consc. Alex. *Roffaus*, ab Alberto Raimaro Germanicè editus in Religionen **der gansen Welt.** Edoardus *Breremodus*, Anglus, Latine redditus à Joh. Jonstono in Scrutin. Relig. Justus *Lipsius*, l. 1. Polit. c. 2. & 3. & lib. 4. c. 2. seqq. & in Apologia lib. 4. seu libro de una religione adversus Dialogistam. Itemque in Monitis & Exemplis politicis. (Frigidius vero & incertius hunc de religione scripsisse, notat Joh. Henr. Bœclerus dissert. de politicis Lipsianis c. 5.) Georg. *Schönborn*, l. 3. Pol. c. 11. Balth. *Cellarius*, l. 2. Pol. c. 14. Val. *Maximus*, l. 1 c. 1. sqq. ejusque imitator Baptista *Campofulgosus*. Georg. *Hornius*, in Orbe politico. *Lucas de Linda* in descriptione Orbis. Joh. Frid. *Pöpping*, in orbe illustrato. Joh. *Jonstonus*, l. 2. c. 55. sqq. & l. 3. c. 11. polymathia. Mich. *Pexenfelderus*, in apparatu eruditionis cap. 92. sqq. Theod. *Zwingerus*, in Theatro Vit. Hum. l. 12. Nec omitti debent, qui de veritate religionis Christianæ scripserunt, D. Georg *Calixtus*, Hugo *Gratius*, ( qui, judice Dn. D. Frid. Rappolto prafat. in Scrut. Kromay. peregrinas religiones accurato satis studio exposuit, sed quæ in Christianæ descriptione occurrunt, non pauca, censoriam virgulam merentur. In primis illud, quod præmium religionis vitæ æternam ad sola N. T. tempora restingit, & Mosen nihil supra hujus vitæ bona promississe cum Socinianis statuit ) ejusque nuperus veluti commentator D. Joh. *Henichius*: Phil. *Morneus*, & Joh. Ludov. *Vives*. Vid. & *Augustinus* de Civ. Dei. Laet. *Firmianus* in libris VII. Institut. divin. adversus gentes, præcipue lib. 1. & 2. de falsâ religione & origine erroris. Itemque qui apologeticos quondam pro Christianis scripserunt, ut Justinus, Athenagoras, &c.

§. 1. Pro-

§. 1. Prodeat igitur primùm in orchestram Christianismus, sic dictus à Christo, tanquam unico salutis fundamento substantiali seu essentiali. Vid. D. Nicol. Hunnius in *διασκέψει* de dissensu fundamentali Luther. & Calvin. p. 57.

I. *Principium* ejus est Scriptura S. V. & N. T. eaqve sola: nequicquam enim alii purpuræ huic laciniam traditionum, vel rationis, vel enthusiasmorum assuere sultinent.

II. *Dogmata* hæc sunt; DEUM omniscium, omnipotentem unum in essentia, & trinum in personis, sapienter condidisse hoc universum, præcipuè angelos & homines, & etiamnum conservare & gubernare. Hominem primum insipientia, justitia, libertate & immortalitate productum, DEOq; acceptissimum, per peccatum excidisse his omnibus cum universa posteritate, æternæque damnationis se reum fecisse: Nec restitui posse nisi per solam DEI gratiam, & Christi *θεάνθρωπος* meritum, in verbo & sacramentis oblatum & verâ fide apprehensum, quando homo vocatur, convertitur, justificatur, sanctificatur, conservatur, confirmatur. Vid. For. Conc. art. XI. In ipsius proinde vita requiritur pietas adversus DEUM, & probitas erga proximum, & seipsum, in cogitatis, dictis & factis; in hierarchia Ecclesiastico-Scholastica, politico-militari & oeconomica. Pœnitentia igitur vera eaqve Evangelica est anima Christianismi, quippe quem *πληροφορία* illa, qua credens sibi appropriat Christi satisfactionem, quæ sola *ισόρροπος* est, maximè distingvit à religionibus profanis. Contritionem verò, confessionem & satisfactiones, hoc est, certas preces, jejunia, elemosynas, peregrinationes religiosas apud infideles etiam reperias. Ritus porò quamvis alibi alii sunt, ubiqve tamen esse debent pii & utiles tum circa personas sacras, earumque vocationem, ordinem: tum circa templum & eorum ornatum: tum circa festa hebdomadaria & anniversaria; tum in ceteris actionibus, vg. administratione sacramentorum, prædicatione verbi.

Denique docetur, corpora omnium defunctorum in die pan-  
tocratico resurgentia & cum anima immortalis redunita in judi-  
cio vel absolutum vel condemnatum iri, prout homines vel  
in fide vel incredulitate mortui sunt, atq; ita finem mundi fore.  
Vid. Chemnitius, Hutterus, Brochmannus, Gerhardus, Hafen-  
refferus in locis, & liber Concordiæ.

III. *Discrepantia* Christianorum sic satis magna est: Inpri-  
mis vero celebris est lateqve patet distinctio Ecclesiæ in Ori-  
entalem, quo ferme Asiani & Afri Christiani pertinent. & occiden-  
talem, quo Europæi & eorum profelyti cum posteris, seu novi  
Christiani in America, Africa & Asia, referuntur. Nolo autem  
veteres hæreses & schismata Arrianorum, Macedonianorum,  
Pelagianorum, Photinianorum, Quartadecimanorum, &c. in  
Conciliis Oecumenicis & provincialibus vel nationalibus du-  
dum rejecta, ex Orco revocare, de quibus consulendi sunt hære-  
siographi, Epiphanius, Damascenus, Augustinus, Philastrius, &c.  
Abunde enim dissidiorum hodieqve est in Oriente & Occiden-  
te. Et sectas quidem *Orientalium* undecim numerat Brerevvo-  
dus l. c. cap. 6. à quo non abit Rossæus sect. 14. 1. Græcorum in  
Græcia & Natolia. 2. Melchitarum in Syria & Oriente passim,  
qui decreta synodica Regum sive Imperatorum sequuntur. 3.  
Moscovitarum in Russia. 4. Georgianorum, Circassiorum &  
Mengrelionum in Iberia. 5. Nestorianorum in Persia & multis  
Orientis provinciis. 6. Indorum s. Christianorum S. Thomæ in  
India. 7. Jacobitarum in Mesopotamia, Babylonia, Syria circa  
Alepum & alibi 8. Maronitarum in Syria circa montem Li-  
banum. 9. Armeniorum in Armenia utraqve cis & trans Eu-  
phratem. 10. Coptitarum in Ægypto. 11. Abyssinorum, in Æ-  
thiopia. Has XI. sectas ibidem reducit ad III. classes, à qui-  
bus reliquæ vel maxima ex parte dependeant, vel minima ex  
parte abeant, suntqve I. secta Græcorum, quibus *ὀρθόδοξοι* sunt  
Melkitæ, Moscovitæ & Georgiani. 2. Nestorianorum & Indo-  
rum. 3. Jacobitarum, ad quos accedunt Maronitæ, Armenii,  
Copti



Copti & Abyssini. Hottingerus autem in Topographia Ecclesie Orientalis cap. 2. (quocum facit Joh. Heinr. Ursinus part. 2. c. 2.) Orientales ratione dogmatum distingvit in IV. classes. 1. Melchitarum. 2. Nestorianorum. 3. Jacobitarum. 4. Maronitarum. Eisdem cap. 3. ratione nationum distingvit in X. classes. 1. Græcos. 2. Syros. 3. Moscovitas. 4. Georgianos. 5. Indos. 6. Sinenses. 7. Armenios. 8. Arabes. 9. Coptos. 10. Abyssinos. In Occidente notissimi sunt. 1. Protestantes Orthodoxi seu Lutherani in Germaniæ magna parte, Dania & Svecia. 2. Pontificii seu Romanenses in ead. Germania, Hispania, Gallia, Italia, Polonia. 3. Reformati s. Calviniani itidem in Germania, Belgio, Helvetia, Anglia. 4. Arminiani s. Remonstrantes in Belgio. 5. Sociniani in Transylvania. 6. Enthusiastæ & Quackeri in Anglia, &c. Sicco socco præteribo jam Irenicos. Jansenistas, Molinistas: Antelapsarios, Postlapsarios, Hypotheticos, Puritanos, Presbyterianos, Independentes aliosque, quorum catalogum texunt Historici Ecclesiastici.

§. 2. Christianismum excipiat Religio Muhammedica s. Islamica aut Muselmannica: s. Islamismus, Muslemismus aut Muhammedismus, sic dictus à causa ministeriali, Muhammede, impostore seculi VII. & mercatore Meccano in Arabia, qui divitiis & potentiâ auctus novum religionis centonem confarcinavit ex Christianismo, Judaismo & paganismo, ut scilicet hac rhapsodia plures ad se alliceret. Tandem extorris confugit Medinam, ubi, magni prophetæ axioma apud suos adeptus, obiit:

*Vitaq; cum gemitu fugit indignata sub umbras*

I. Principium igitur Islamismi est Alcoranus s. Phurkan. Cui Turcæ etiam Sunam s. traditionem, consensum successorum Muhammedis & rationem addunt.

II. Dogmata & præcepta hæc sunt: DEUM unum esse in essentia & persona simul, (ac proinde Christianos qui uni personæ

personæ alias adjungunt, Associantium nomine rejiciunt) omniscium, mundi, angelorum & hominum, & quidem Adami expulvere discolori, conditorem & conservatorem. Hominem nasci cum nigra gutta peccati originalis (hanc tamen Muhammedi per Gabrielem angelum exemptam esse) atque justificari per gratiam DEI & intercessionem Muhammedis & Christi *ψιλανθεώπης*; neque v. hunc in cruce mortuum esse, sed vivum in cælos translatum, ejusque vicem subiisse Judam proditorem. Jubetur porro Muselmannus quinque operibus DEO & proximo se probare. 1. confessione (non esse DEUM, nisi unum, & Muhammedem legatum ejus esse) atque circumcissione. 2. precibus & lotionibus. 3. jejuniis. 4. peregrinationibus religiosis ad Medinense sepulchrum Muhammedis. 5. eleemosynis. Ceremoniæ a. magnam partem ineptæ & ridiculæ sunt. Ecclesiastæ, quorum primicerius Muphti vocatur, campanarum (quarum ut & horologiorum pulsatilem, & typographiæ usus illis damnatus est) vice, stans vicibus è turribus magno boatu & Stentorea voce homines ad preces & sacra excitant. Monachi genus saltandi exercent, quod

*Non sani esse hominis non sanus juret Orestes*

Tantisper enim saltant, dum plane è potestate mentis exeant, Templâ ipsorum subobscura sunt, unde lampadum ardentium, frequens ibi usus; imagines verò & mulieres inde excludunt. Dies Veneris sacris destinatus est. Quinq; verò opera antea recensita etiam certos ritus habent. Circumcisio enim non in infantibus, sed pueris adhibetur: preces certis inclinationibus & ad sphæulas precatorias fiunt, lotionesq; valde frequentantur: jejunia exigunt abstinentiam diurnam à cibo; noctu vero pergræcari & nepotari licet, atque

*Sic Curios simulant & bacchanalia vivunt.*

Abstinentia v. a carne suilla & vino perpetua est, quamvis sæpe malæ fidei. Peregrinationes Medinenses nescio an plus superstitionis,

stitutionis, an molestia & periculorum habeant. Ac stipem non, Islamitis tantum, sed & Christianis, quin & avibus, piscibus, canibus impertiunt. De novissimis denique persuasum ipsis est, animam in morte superstare: resurrecturos v. in novissimo die, (quem multa signa antecessura sint, quique per 1000. annos duraturus sit) homines ad iudicium: & Muselmännos quidem, imprimis pro religione oppetentes, Paradisum nimium quantum opiparum, & vere Epicureum ingressuros esse; impios v. in Acherontem præcipitatum iri. Huc itaque VI. capita Islamismi à Wallichio recensita 1. de libris 2. prophetis 3. DEO 4. fato 5. Angelis 6. iudicio, Itemque VI. capita paulo aliter ab Ursino cap. 2. recitata facile revocari poterunt. *μαβέρος* hic nota, id, quod Grotius l. 6. §. 2. habet, librorum sanctorum lectionem plebi Muhammedicæ interdictam esse: non absolute intelligendum esse; Hottingerus n. Comp. Or. p. 46. & 26. itemque Wallichius p. 4. Alcorani lectionem omnibus commendari referunt; sed de quibusdam libris, sicut Joh. Andreas cap. 12. circa finem, tradit, libri de Regibus lectionem senibus tantum permissam esse.

III. *Concordia* ipsorum etiam discors est, (longè rectius, quam R. Hospiniani Lutheranorum concordia discors) Paulò enim post agyræ obitum LXXIII. sectæ in Islamismo ortæ sunt, è quibus eminent Aliseqvæ, & ipsi in LXX. sectas scissi, quales sunt hodie Persæ, qui Alin verum Muhammedis successorem fuisse statuunt, & Sunam s. traditionem Turcarum rejiciunt. In explicatione etiam Alcorani & ritibus dissentiunt Hanifæi s. Turcæ, Schafæi s. Tartari, Henbelitæ s. Indi, & Alistæ s. Persæ. Vid. Pöpping. p. 678. Nil dicam de Gingischanismo. Vid. Theod. *Haekspanius*, de fide & legibus Mahammedis. Joh. Ulr. *Wallichius*, in Religione Turcica & vita Muhammedis. Joh. *Andreas Maurus*, & ad Christianismum conversus in confusione sectæ Muham. à Joh. Lauterbach Latinè reddita. Joh. Ern. *Gerhardus*, in brevi consideratione Theologiæ Muh. J. H. *Hottingerus*, in Hi-

storia Orientali: & in Compendio Theatri Orientalis. Augustus Pfeiffer in fasciculo dissert. Philolog. diss. 4. & 5. Polyd. Virgilius l. 7. de Invent. Rer. c. 8. & qvi de Turcis, aut Itineraria Orientalia descriperunt, ut D. Georg. Mylius, D. Tob. Wagner, D. Joh. Olearius, Salom. Schweigger/ Joh. Leonclavius.

§. 3. Islamismo succedit Paganismus, cui hoc nomen seculo IV. inditum est, quod Constantius Imperator gentiles ex urbibus in pagos rejiceret. Vocatur etiam Gentilismus, Ethnicismus, & *ναὶ ἰδωλολατρία* Idololatria scil. crassa.

I. *Principium* ejus est ratio, juxta & revelationes Oraculorum & traditiones avitæ.

II. *Dogmata* & præcepta potiora ista sunt: Multos esse Deos vulgo quidem persuasum fuit: unum tamen esse Numen, quod mundum gubernet, eruditos non latuit. Vid. Joh. Seldenus cap. 3. Proleg. de Diis Syris. Nihil tamen hic de Trinitate: nihil sani de creatione mundi, de geniis s. intelligentiis. De homine crediderunt, nasci ipsum integrum probum & liberum, sine labe: salvari autem per gratiam DEI, opera bona & poenitentiam pro admissis peccatis. Idem proindè jubetur DEUM propitiare precibus, & sacrificiis, sæpè humanis: de cetero vivere fortiter, justè, temperanter. Fuere tamen, quibus incestus, furta, homicidia præcipue exterorum in prohibitis non numerata sunt. Ceremoniarum ingens apparatus est: sive spectes sacerdotes varios, & quondam augures, auspices, Vestales &c. sive lararia & delubra plurima, instructa statuis & imaginibus Deorum: sive festa, sive ceteram rituum pompam in sacrificiis, lustrationibus, auspiciis. Denique post hanc vitam superstare animam, & vel feliciter vel infeliciter vivere cordatiores crediderunt: de resurrectione autem corporum altum silentium: quid? quod ne animæ quidem immortalitas multis probata fuerit.

III. Diversitas tanta est, ut major esse vix queat: Tum quæ  
paga-

paganismum veterem: Tum quæ recentiorem in Europa septentrionali, Asia, Africa & America; Si paganismum dixeris, nomen unum dixeris, non religionem unam: nam nec idem adorabant, nec eadem ex lege, inquit Dn. D. *Calovius*, lib. c. *Quæst.* 6. pag. 106. ex Hug. Grot. lib. 2. pag. 184. Atque idem pag. 103. religionem paganam dividit in popularem & philosophicam: Hancque iterum subdividit in *μυθικὴν* seu fabularem poetarum; *Φυσικὴν* s. naturalem philosophorum: & *πολιτικὴν* s. civilem populi (quo pacto etiam Augustinus l. 6. c. 5. de Civ. Dei ex Varrone Theologiam gentilem dividit in naturalem, quæ mundo: fabulosam, quæ theatro; & civilem, quæ civitati accommodata est) *G. Hornius*, in Hist. Eccl. p. 6. cand. Religionem dividit in communem, (quæ gentes crediderint 1. esse DEUM. 2. solem, lunam & stellas tanquam Deos colendos. 3. homines benè meritos in numerum Deorum transcribendos. 4. sacrificia Diis exhibenda. Traditamque fuisse hanc Theologiam ænigmatice & mystice) & singularem, eamque vel feram barbararum Gentium, Scytharum, Celtarum, Sarmatarum: vel cultam, novis dogmatibus, ritibus & ceremoniis expolitam Chædæorum, Ægyptiorum, Græcorum & Romanorum. Vid. qui de Theologia gentili, antiquitatibus Græcis & Romanis, & de Americanis atque Indis scripserunt, *Vossius* in Theol. Gent. & Phys. Chr. Joh. *Seldenus* de Diis Syris. Joh. *Rosinus* & Phil. *Caroli* in Antiq. Rom. aliique, quos vide apud Joh. *Micrælium* in Syn- tagm. Histor. Polit. & quidem in Catalogo Historicorum.

§. 4. Quæ de Judaismo dicenda restant, in aliud tempus rejicienda sunt, quod præsens pagina ista non capiat.

Argumentum hoc de Religionum varietate, allecti ejus præstantia & utilitate, iisque quæ nuper in festo Palladis de eodem proposita fuerunt, simul ut præcepta artium dicendi & Topica in rem transferrent, pertractandum sibi sumserunt discipuli quidam ingenui & bonæ spei; qui proinde ex more in hac schola recepto

recepto cras in publicum prodibunt, deq̄ve religionum nominatarum principiis, dogmatibus & ritibus quædam pro tempore dicturi sunt, reliquis in aliud tempus rejectis, & quidem.

I. CHRISTIANUS THEODORUS CRAMERUS, Longobos. Misn. Schol. Alumnus, Religionem in genere, speciatim vero Christianam meritis laudibus mactabit.

II. JOH. RUDOLPHUS Busch / Ælterlin. Misn. Sch. Al. paganismum commendabit.

III. GOTTFRIED CRAUSIUS Thumà Misn. eundem vituperabit.

IV. JOH. Mittlacher Schneebergà Misn. Judaisum laudabit.

V. CHRISTIANUS Breitsfeld Annab. Misn. Sch. Al. eundẽ refutabit.

VI. JOH. HEINRICUS JOBIN. Annab. Misn. Sch. Al. Mubammedismi laudes decantabit.

VII. GEORGIUS SEIDEL Graciã Variscus eas destruet, & auditorio gratiasaget.

Vos igitur Patroni, Inspectores & Fautores literarum honoratissimi, date hoc, quæso, bono publico, negotiisque vestris, quibus impliciti estis, gravioribus tantum temporis subtrahite, ut huic Exercitio intersitis. Erit spectabilis vestra præsentia. Scholasticæ publi *δῆμισησιον*, ut posthac strenuè in stadio hoc grassetur: Simul verò alta mente repositum habebit illud:

*Nemo silens placuit, multi brevitate loquendi.*

Annæbergæ a. d. XIV. Kal. Sextiles anno M. DC. LXXI.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.











AB: 155735 (1)


ULB Halle 3  
003 023 915



80

V. 12





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



21

# TORIA IONUM,

er indicata

&  
ANNÆBERGENSI

VII. Julii

I. DC. LXXI.

ducta.

à

E CRAUSIO, R.

NÆBERGE,  
IDIS NICOLAI.

2